



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad  
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

**Luxemburgi, 1758**

XXXIX. Quinqueecclesiensis Episcopus, ejusque Successores, perpetua  
Paullii usus, ac prægestandæ Crucis concessione donantur, sub certis  
modis ac conditionibus. 1. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](#)

& Psalmum *Lavabo*, eadem vulgari lingua, latineque characteribus impressa, nulla desuper a Nobis facultate, & approbatione praebenta, sibi, aliisque Sacerdotibus legenda proponere: Idcirco ne hujusmodi abusus, qui euidenter Ritum miscere ac turbare facile posset, latius progettatur; postquam alii Nostris editis Constitutionibus, nimurum quinquagesima septima cui initium *Etsi pastoralis*, & octogesima septima incipiente *Demandatam cælitus*, quæ extant in Bullarii Nostrorum Tom. I. p. 167. & 290. \* Græcorum Rituum conservationi, & integratati, pro Italo-Græcorum, & Græco-Melchitarum Nationibus, abunde providimus; eadem nunc sollicitudinis Nostræ curam ad Illyricam Nationem converentes, suprema, qua fungimur Apostolica auctoritate, volumus, præcipimus, atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes & Sacerdotes tam Seculares, quam cuiuscumque Ordinis, aut Instituti Regularis, qui Ritum Slavo-Latinum profitentur, in Augusto Altaris Sacrificio, & in Horis Canonicas, aliisque divinis Officiis persolvendis ac obediendis, Missalia, Tabellas, & Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandæ Fidei, quæque in posterum ibidem imprimentur, non sine præviis opportunitates revisionibus, & approbationibus, aliisque diligenter hucuque adhibitis, & deinceps adhibendis a Viris doctis, & Slavo-Latinum idioma, ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura antea facta scedula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeat, & teneantur: utque in posterum nemo ex prædicto Clero, in Missis celebrandis, aut in divinis Officiis persolvendis, Orationes & Preces, quæ nostra, & Apostolicæ Sedis auctoritate examinatae non fuerint, & approbatæ, recitare, aut quoquo modo adhibere audeat, seu præsumat.

**S. 2.** Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum Dioecesis Ritus Slavo-Latinus viget, committimus, atque injungimus, ut pro zelo & sollicitudine, qua tenentur concretidis sibi Ovibus præesse, & Sacrorum Ecclesiæ Rituum integratitatem advigilare, sedulam exactamque hujusmodi voluntatis, ac districti præcepti executionem current, atque urgent, ac novitates omnes, irrepotosque quolibetabus eliminant, adhibitis efficacioribus remedios a Sacris Canonibus in pervicaces & refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

**S. 3.** Decernentes has Nostras Litteras, & in eis contenta hujusmodi, semper & perpetuo firma, valida, & efficacia existere & fore, fuosque plenarios, & integrös effectus fortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: sive, & non aliter præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinales, horumque Congregationes, necnon Apostolicæ Sedis Nuncios, & quovis alios quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuiilibet quavis alteri judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

**S. 4.** Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam in Synodalibus forsan, aut Provincialibus Concilis editis Constitutionibus, aut Decretis; Privilegiis quoque, & Indultis eidem Nationi Illyricæ, ejusque Ecclesiis, atque Praefulibus, quavis etiam Apostolica auctoritate concessis, ac iteratis vicibus confirmatis, & innovatis, ac usibus,

stylis, & consuetudinibus quantumvis diurna observantia firmatis; quibus omnibus, & singulis, tenore præsentium, & ad præmissum effectum, specialiter & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

**S. 5.** Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo Persona in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorups fides adhibetur, quæ ipsius præsentibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense.

**S. 6.** Nulli ergo Hominum licet paginam hanc Nostræ Declarationis, inhibitionis, præcepti, mandati, commissionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotens Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millefimo septingentesimo quinquagesimo quarto, decimo octavo Kalendas Septembribus, Pontificatus Nostrum Quartodecimo.

**D. Card. Pâllionius.**

**J. Card. Pro-Datar.**

### V I S A

De Curia J. C. Boschi.

**L. Eugenius.**

Loco + Plumbi.

### Registrata in Secretaria Brevium.

Quinque-Ecclesiensis Episcopus, ejusque Successores, perpetua Pallii usus, ac prægestanda Crucis concessionem donantur, sub certis modis ac conditionibus.

### BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

**R**OMANUS Pontifex in Beati Petri Sede ad universa Ecclesiæ regimen à Deo constitutus, dum Apostolicæ benignitatis favores inferiorum Ecclesiærum Praefulibus circumspæcta liberalitate distribuit, non modo supremam illam exercet potestatem, quam sibi veluti hereditate reliquit agnoscit a Beatissimo Apostolorum Principe, a quo, ut Sanctus Innocentius inquit, *Episcopatus ipse, & tota auctoritas nominis hujus emerit;* sed illud præterea efficere studeat, ut animarum Pastores sacris honoribus aucti, majorem sibi a subiectis Populis reverentiam concilient, utque ita ubiores spiritualis sollicitudinis sue fructus ex eorum docilitate & obedientiae percipiant.

**S. 1.** Porro inter eximia sacrae dignitatis decora, quæ ab Apostolica Sede diversis per Ornamenta Ecclesiæ, earumque Antislitibus, indulgeri conveuerunt; & Sacri Pallii usus, & jus præferendi Sanctissimæ Crucis signi, merito numerantur. Quorum primum illud, materiæ quidem simpliciter, ipsaque sui specie exiguum, sed Pontificia Benedictionis munere, & mysteriorum significatione pretiosum, e sanctiori Ecclesiæ Thesauro, nimurum ex veneranda Beati Petri Apostoli

### XXXIX.

**Procemium.**  
Pontifices in  
distribuendis  
honoribus  
inferiorum  
Ecclesiærum  
Praefulibus,  
jus suum  
exercunt, &  
animarum sa-  
luti prospic-  
ciunt.

**Inter præ-  
stantiora ho-  
noris insignia**  
Pallii usus  
recensetur,  
& jus præ-  
ferendi sibi  
Crucis.

Pallii Mis-  
sionum indu-  
mentum qui-  
bus detin.

1754.

Confessione desumptum, certis dumtaxat tribuitur insignium Ecclesiarum Praefulibus, iisdemque enim ex postulantibus, & peculiarem obedientiam & fidem Romano Pontifici, solemnis jurisjurandi interpositio, spondentibus: Ut, sicut olim Dominus noster Iesus Christus, ovulum suarum curam eidem Beato Petro committens, conditio nem posuit dicens, *Si diligis me, pase Oves meas*; Ita non alii praefontiora hec Pastoralis Officii insignia tradantur, quam qui Apostolicae Sedi subjectionis debite signa perlitant, que ipsos cum Beato Petro tamquam membra de membro habere, & Catholici capitatis unitatem servare declarant.

*Mystica iti-  
dem, plurimae  
vir-  
tutis prege-  
statio Crucis  
sublimis.*

*Verustior,  
recentiorque  
praxis Sanctæ  
Sedis in hu-  
mili medi in-  
dulso conce-  
dendo.*

*Quinque-  
clesiensis Ec-  
clesiaz erexitio  
ac dignitas.*

*Pallii ho-  
nore olim  
gavifa.*

*Hujusmodi  
indutum alii  
personale.*

*Perpetuum  
alii arbitran-  
tur.*

*Iterata Quin-  
queclesiensis  
Episco-  
porum, &  
Regina Hun-  
garie preces  
pro novi in-  
dulti conce-  
fione.*

**§. 2.** Erectæ autem Crucis delatio, Salvatoris nostri, cuius legatione fungimur, humiliatem pariter, & potentiam declarat; atque ita intentum animos alicic ad illius excipienda precepta, qui exaltatus a terra, omnia traxit ad se ipsum, ut simul etiam prævaricatores admoneat, hoc idem Crucis signum in Cœlo fore, quum Dominus ad judicandum Orben Terræ in splendore Majestatis advenerit. Quæ quidem Indulta, licet olim solis Apostolicae Sedis Vicariis concedi consueverint, deinde vero omnium Ecclesiarum Metropolitanarum Praefulibus communicata, ad minoris autem Ordinis Antifites, nimur ad simplices Cathedralium Sedium Episcopos, nequaquam extinxerint fuerint; nihilominus omnium seculorum monumenta testantur, eadem præclaris quibusdam Ecclesiarum Pastoribus, etiam Metropolitico jure & potestate parentibus, ex Apostolicae Sedis indulgentia, nunc perfonali privilegio peculiaribus ipsorum meritis debito, nunc autem perpetua concessione, ad illustrium Ecclesiarum splendorem augendum cumulandumque, tributa fuiffe.

**§. 3.** Cum itaque Ecclesia Quinqueclesiensis, Provincie Strigoniensis, in Hungaria Regno constituta, Sancti Stephani I. quondam Hungariae Regis pia liberalitate fundata atque dotata, & tam in Ecclesiastica Hierarchia, quam in predicti Regni Ordine multis nominibus clara, & illustris, hac olim prærogativa, de tempore regol. mem. Innocentii Papæ III. Predecessoris nostri gavifa fuisse dignoscatur, ut illius Episcopus, ex Romani Pontificis concessione, Pallio uteretur; quod constat ex ejusdem Innocentii Papæ literis relatis in Cap. *Cum in Juventute, de presumptio-*

*nibus*: Et licet aliquorum opinione, eorum probabilior sententia videatur, qui Indutum ejusmodi tunc existenti Episcopo dumtaxat, non autem illius Successoribus tributum fuisse putant; quum tamen major Canonistarum, aliorumque Scriptorum numerus, privilegium ipsum Ecclesiaz Quinqueclesiensi, ejusque Episcopis pro tempore existentibus concessum, nec nisi ob lacrymabiles ejusdem Ecclesiaz vicissitudines, que sub gravissimo Turcarum jugo diu oppresa jacui, amissum fuisse arbitretur; Hinc factum est, ut plures ejusdem Ecclesiaz Episcopi, dum illius statu Apostolicae Sedi prescriptis temporibus de more referrent, & opportuna suis rebus postulaverint, ad predicti privilegii usum se reintegri petierint. Quod cum etiam nuper existens Quinqueclesiensis Episcopus in sua relatione, quam anno 1748. per occasionem visitationis Sacrorum Liminum, ad Nos & Apostolicam Sedem transmisit, atque iterum Ven. Frater Georgius modernus ejusdem Ecclesiaz Antifites, enixis precibus postulaverint; eorum autem votis Carissima in Christo Filia Nostra Maria Theresia Hungaria & Bohemia Regina Illustris, in Romanorum Imperatricem Electa gravissimum supplicationis sue suffragium adjunxit: Nos, attentis premisis, & tam devotionis nostræ affectum erga memoriam Beati Regis ejusdem

Ecclesie Fundatoris de Catholica Fide & Religione optime meriti, quam paternæ voluntatis nostræ studium erga ipsam Mariam Therefiam Reginam & Imperatricem Electam, cuius egregia ad hunc diem extiterunt in Nos, & Apostolicam Sedem officia, amplius declarare volentes, præfati etiam Georgii moderni Quinqueclesiensis Episcopi zelum atque virtutes justa aestimatione penstantes, eundemque a quibusvis suspensionis, & interdicti, &c. censentes; eidem Georgio Episcopo, ut ipse & ejus Successores Ecclesiaz Quinqueclesiensis Praefules pro tempore existentes, de cætero perpetuis futuris temporibus Sacrum Pallium in solemnitatibus & functionibus in Pontifici Romano descriptis, induere & gestare, ac etiam Crucem ad instar Archiepiscoporum ante se elevari & gefari facere, in dicta Quinqueclesiensis Civitate & Dioecesi dumtaxat, & non alibi omnino, five in alienis Dioecesis, five in predicti Hungarici Regni Comitiis, five in quibusvis aliis locis Episcopo præfato non subjectis, etiam si Ordinariorum Locorum licentia ad id accederet; nec etiam in dicta Civitate & Dioecesi Quinqueclesiensi, in prefectori alicuius ex Sanctæ Romanae Ecclesiaz Cardinalibus, vel Nostri, & ejusdem Sedis Apostolicae Ordinarii aut Extraordinarii Legati, seu Nuncii, vel Archiepiscopi Strigoniensis, nisi de eorum respecctive consenserit, sub gratiae & concessionis hujusmodi nullitate; & dummodo quoad Pallium prædictum tam ipse Georgius, quam illius Successores Quinqueclesiensis Episcopi pro tempore futuri, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure vel confuetudine servandis, & postulare, & confuetudinis debitum juramento edito, accipere, aitque in similibus observari solita adimplere teneantur, nec ante acceptum Pallium erecta Crucis gestationem sibi licitam esse noverint; Utque deinceps, falvo in omnibus Jure Metropolitico Ecclesiaz Strigoniensis, illiusque Archiepiscopi pro tempore existentes, & nihil immutato præcedentia ordine inter ipsos Episcopos Quinqueclesiensis, alicuius Episcopos, five ejusdem, five alterius Provincie, haec tenus de jure, usit, aut confuetudine, in quibusvis functionibus, confessibus, aut comitiis servari solito, hujusmodi Pontificalis honoris insigniis uti liberè & licet possint, & valeant, de Apostolicae auctoritatis plenitude, tenore presentium, concedimus & indulgemus.

**§. 4.** Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, nec unquam sub quibusvis generalibus similiis vel diffiniunt gratiarum revocationibus, fulpensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse & fore, ac cerner; ac dicto Georgio Episcopo, ejusque successoribus dictæ Quinqueclesiensis Ecclesiaz Praefulibus pro tempore existentibus, perpetuo suffragari, necnon ab ipsis respective in omnibus, & per omnia observari; siveque, & non alias, per quoscumque Judices, etiam Caucarum Palati Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, ejusdemque Sedis Nuncios, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si fecis super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter judicari, aut respechive attentari contigerit.

**§. 5.** Non obstantibus Apostolicis, ac in Universitatibus, Provincialibus, & Synodalibus Concilii editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus; seu dictæ Quinqueclesiensis, aut alterius cuiuscumque Ecclesiaz, etiam jureamento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmate alia roboratis, statutis, & confuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Null-

ANNO  
1754.  
Quorum ob-  
egregia ob-  
ita, & Beati  
Fundatoris  
inclytam me-  
moriam.

Perpetuum  
indulsum u-  
tendi Pallio,  
& prægian-  
dis Crucis  
Quinque-  
clesiensibus  
Episcopis  
conceditur,  
sibz ceteris ta-  
men modis  
ac conditio-  
nibus.

Decretum  
Indulti firmi-  
tatem.

Dero-  
gatio  
contraria.

1754.  
Sanctio.Dat. 1. Sep-  
temb. 1754.  
Pont. XV.

**S. 6.** Nulli ego omnino Hominum licet hanc paginam Nostræ absolutionis, concessionis, Indulti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem &c. in cursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominice millesimo septingentefimo quinquaginto quarto, Kalendis Septembbris, Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

**D. Card. Passoneus.****J. Card. Pro-Datarius.**

VISA

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco + Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

XL.

S. Leoni I. Papæ & Confessori, Missa & Officium decernitur sub Ritu Sanctorum Doctorum.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

**Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.**

Proemium.

**M**ILITANTIS Ecclesiæ auctor rectorque Deus, quia eam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ædificaverit, summoque angulari lapide Christo Iesu innixam voluerit, tum provido cavit consilio, ut ad illius custodiam atque praesidium usque in seculorum finem adiligantem egregii sancti Doctores, qui nedium sublimioris virtutis exemplo Fidelium mores ad Sanctitatem iustitiamque componerent, sed etiam doctrinæ vi & excellentiæ eosdem in Fidei sinceritate, & salutaris scientie veritatem continerent. Horum quidem operam tanti se facere ostendit dominus & Magister, ut eos Sal Terræ, & Lucem Mundi appellaverit; utpote qui, non vivæ tantum vocis officio, quemadmodum ceteri sanctanum plebium pastores, præsentium sibi populorum saluti confuturi erant, sed peculiari sapientiae lumine Spiritus Sancti dono diti, doctissimis conscriptis Libris, universam Ecclesiam instruere, & omnium seculorum posteritatem in Religione erudire debent. Hinc Ecclesia ipsa, Sponsi sui Spiritu imbuta, ejusque instituta fervore studens, eosdem gloriosos Viros uberiori doctrinæ munere a Deo repletos, hoc singulari honore prosequi conseruit, ut in solemnis Sacris, que recurrentibus eorum festivitatibus celebrantur, tam felicitate in Sacrificio Missæ, quam in Ecclesiasticis Officiis, ejusmodi preces, lectiones, & laudes adhiberi jubeat, in quibus & Sancti Doctoris titulus ipsis tribuitur, & eorum sapientia ac doctrina specialius predicanter.

Gloriosi Viti-  
nion Sancti-  
tate solum,  
sed & doctrina  
conficiuntur,  
in Missa &  
Divinis Offi-  
ciis uti Do-  
ctores cele-  
brantur.Quoniam  
doctrina pre-  
stiterit S. Leo-  
n. Pontifex.

**S. 1.** Porro inter eos, quorum natales dies hoc peculiari ritu ac privilegio decorantur, merito semper numerandum existimavimus Praedecessorem nostrum Sanctum Leonem I. Romanum Pontificem, qui (ut doctissimi Cardinalis Baroni verbis utatur) ob excellentem virtutem, doctrinam, & in cura pastorali vigilansimum studium, a majoribus MAGNI cognomento jure

meruit appellari. Cujus quidem doctrinæ excellētia, sive in altioribus Fidei nostræ Mysteriis explicandis, & contra insurgentes errores vindicandis, sive in tradendis disciplinæ regulis, & morum præceptis, cum singulari Sacerdotialis eloquii gravitate & ubertate, adeo elucescit, ac etiam tot hominum laudibus cumulata, tantoque Conciliorum, Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum studio & conserufo celebrata dignoscitur, ut sapientissimus Pontifex nulli ferme Sanctorum Doctorum, qui in Ecclesia floruerunt, aut fama, aut exaltatione postponendus esse videatur. Et sane Sancta universalis Synodus apud Chalcedonem congregata, non illum tantummodo vocis Beati Petri interpretem appellavit, sed & illius de Incarnatione Domini doctrinam venerabunda suscipiens, exclamare non dubitavit: **Petrus per os Leonis locutus est.** Idem Sanctus Pontifex a Concilio Constantinopolitano sub Menina celebrato, illuminator & columna Ecclesiæ; idem a sexta Synodo, firmamentum orthodoxæ Fidei prædicatur; Idem in perpetuissimo Synodorum Libro Apostolicorum dogmatum defensor, & Apostolis coequalis dicitur. Quid autem clarissimi Religionis nostræ Proceres ac Patres? Sanctus Sophronius Hierosolymorum Antistes **Sanctissimum Romanæ Ecclesiæ, immo omnium, que sub Calo sunt, luminare, Leonem suisse affirmavit.** Utque aliorum innumera prætereramus testimonia, S. Nicolaus Papa I. ad Michaelm Imperatorem scribens, libere afferrit, quod nisi Deus Leonis virtutem atque doctrinam adversus Latrocinium Ephebitum excutisset, Religio Christiana penitus corruiisset. Etsi autem Ecclesia, inter eos, quos Doctorum titulo & appellatione distinguit, Sanctum Leonem Pontificem nondum peculiari Decreto recensuit; illius tamen doctrinam tanto in honore se habere ostendit, ut ipsius scripta, non secus ac illorum, quos præcipios Religionis Magistros atque Doctores jadudum veneratur, in Divinis Officiis frequenter locum habere jussit; & in iis præteri Solemnitatibus, quibus majora Fidei nostræ Mysteria per anni cursum recoluntur, universum Clerum & Populum ex illius Sermonum lectione solidam eruditioinem, & spirituale pabulum haurire voluerit.

Præclarissi-  
mum de ea  
testimonium  
Conciliorum  
ac Patrum.

**S. 2.** Ad hæc autem, quæ de Sancti Leonis meritis & gloria cum omnibus sentimus, & jampridem animo Nostro reputavimus, peculiares quædam, Nobisque cum paucis communis, accedit causa, quæ Nostram olim erga ipsum pietatem & venerationem magnopere accedit & auxit; quod felicit, dum in Vaticana Beati Petri Basilica Canonicalem dignitatem in minoribus obtineremus, quum Sacrum illius Corpus, a multo jam tempore sub Altari Sanctæ Mariæ de Columna nuncupata quiescens, ad alterum ipsius Sancti Pontificis nomine in eadem Basilica erectum & dedicatum, solemnè ritu ac pompa transferendum fuit, venerabilium illius officium elevationi & recognitiōni præfentes adiuvimus, eaque nostris oculis intueri, ac debito cultu prosequi, summe felicitatis loco habuimus; cuius rei Nos alibi, vimur in Opere de Canonizatione Sanctorum Lib. IV. Part. II. Cap. XXIII. mentionem fecimus.

Peculiares  
præterea ob-  
sequii sui  
causæ recen-  
sunt Pontifex.

**S. 3.** Quod itaque semper, præmissas ob causas, justum & æquum censuimus, quodque Nostra in Sanctum Pontificem singularis devotione Nobis suadet, hoc denum, auctoritate Apostolice Sedis, in qua, magno licet temporum, maiore autem meritorum intervallo, eidem successimus, nunc re ipsa præstare decrevimus;

Quapropter  
ejus Officiū  
& Missam sub  
Ritu Sanctorum  
Doctorum celebri  
jubetur.